

merum in Cathalogo descriptum habeant, sed et ut unusquisque Patrum familias eosdem masculos, annum 17 excedentes, in suis domibus alant et sollicitae curae habeant.

### Articulus Sextus.

Si quis ex Turcia vel aliunde transmigrans sub hoc vel illo Capitaneatu sedem figere voluerit, id cum praescitu Supremi Capitanei fieri necesse est. Sin autem Valachus, qui iam semel in aliquo loco sedem fecit, vel alias ibi legitime commoratus est, domicilium in eodem Capitaneatu mutare velet, id, ut cum solo Supremi Judicis, Assessorum et Knesii praescitu fiat, sufficit.

### Articulus Septimus.

Knesii summa uigilantia et studio omnia delicta et maleficia praecavere conabuntur; quod si vero quispiam ex iis de praevaricatione et collusionione cum reis in quocunque delicto iudicialiter convictus fuerit, et tunc Supremus Judex et Assessores talem Knesium tanquam infamem officio movebunt, juxta qu... ad ipsum factum eius qualitate multa merita afficient, vel si enormitas delicti poenam Sanguinis mereri Judicabitur, ad Regimen bellicum transmittent, alio interim id... Juri in locum legitime subordinato.

### Articulus Octavus.

Tenebuntur insuper Knesii advigilare, ut fures quamprimum capiantur et Profosio suo assignentur. Res autem furto ablatae apud Judicem Supremum deponantur, et ibi, servatis de Jure servandis, suis dominis restituantur.

### Articulus Nonus.

Omnia Conventicula et Congregationes, extra eas, quae pro eligendis Knesiis, Judicibus et Assessoribus, modo quo supradictum est, legitime celebrantur, in universum sub poena vitae interdictae sunt. Si quas autem necessitas aegerit, ex permissu Generalis instituantur.

### Articulus Decimus.

Juramentum autem Judicum, Assessorum et Knesiorum, per Deum vivum et per gloriosam Dei Genitricem Virginem Mariam, et per omnes Sanctos et electos Dei, in Articulos praemissos concipiatur. Addito insuper, ut promittant se Deo, Christianae Reipublicae, Nobis et Successoribus nostris legitimis Ungariae Regibus, Generali et Supremis Capitaneis, fidem et obedientiam exhibituros, omnia Reipublicae pernitiola et bonis moribus contraria revelaturos, et quoad omnibus et singulis coram se causantibus absque cuiusvis personae, divitis scilicet et pauperis, acceptione, omnibusque prece, praemio, favore, amore et odio postpositis